



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



58
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO XXV.

continens
ANTIŒSIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,
DE QVÆSTIONE:

An præter Christum, debeat esse
aliquod visibile caput Ecclesiæ in terris, qui
loco Christi visibiliter gubernet Ec-
clesiam.

Proposita.

In Electorali Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

NICOLA O Buchmeister Gryph. Pom.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 14. Novembr.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AURBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLEGI TERTII

In Augustanum Contestationem

D. O. M. N. I. S. P. A. S. I. D. E.

ARTICULI VII

De Ecclesia

Præter Christum, debet esse

In Electoratus Academia Vitebergensi

P. R. A. S. I. D. E.

JACOBO MARTINI S. Th.

Doct. & v. c. P. b. P. r. i. n. c. i. p. i. s. Theol.

RESPONDIT

NICOLAUS GYPHARTIUS

Typis Heroldum SALONIS ARYACH, 1699. Typogr.

Anno M DC LXX.





D. O. M. A.

Continuatio.



Actenus ergo Becanus suam absurdam opinionem de visibili vicio capite Ecclesiae adductis rationibus probare satagit: Quomodo vero Isthmum perfoderit; Indicium esto penes candidum, sincerum & orthodoxum lectorem: Subjicit nunc objectiones Marci Antonii de Dominis, illasq; suo modo ac more, hoc est, Papistico & Sophistico resolvit & refutat. sequitur ergo, ut quid ibi praestiterit, porro videamus & scrutemur.

T H E S I S I.

Sic E. pergit Becanus. *Multa objicit Marcus Antonius. Primo illud Rom. 12. 5. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Ubi Apostolus (ut ille Argumentatur) nullum aliud Caput agnoscit, nisi Christum, Et inter membra corporis, non minus includit Petrum, quam alios fideles. Imò omnes fideles vult esse membra, non solum respectu Christi, sed etiam respectu ipsorum inter se. Quod probat ex illis verbis: Singuli autem alter alterius membra. Igitur & Petrus & Pontifex sunt membra corporis Ecclesiae non solum, si conferantur cum Christo, sed etiam si conferantur cum aliis fidelibus. Non sunt ergo Caput Ecclesiae. Respondeo, Apostolus disertè ibi loquitur de Christo, quatenus est Caput Ecclesiae per internum influxum donorum gratiae, Et sic verum est omnes*

A 2

fideles,

fidèles, etiam Petrum, & Pontificem esse membra, non Caput: Omnes enim accipiunt gratiam à Christo, tanquam à Capite; nullus à Petro vel Pontifice. Si autem sermo sit de Christo, quatenus est Caput Ecclesie per externam gubernationem tunc non solum ipse, sed etiam Petrus est Caput: ille quidem primarium, & propria virtute, hic verò secundarium, & virtute ab illo participata.

II. Argumentum Antonii in syllogismum resolutum tale est: Quicumque omni modo & respectu, nempe & respectu Christi & respectu cæterorum Christianorum, est membrum Ecclesie, ille nullo modo dici potest, vel est caput Ecclesie: Atqui omnis Christianus, nullo exēpto, omni modo & respectu, nempe & respectu Christi & respectu cæterorū Christianorum, est membrum Ecclesie: Ergo nullus Christianus ullo modo dici potest, vel est caput Ecclesie: Major est certa: Nam qui & Christi & confratrum respectu dicitur membrum Ecclesie, is omni respectu dicitur membrum, cum plures respectus non dentur. Quia igitur membrum & caput sunt relative opposita; utiq; qui omni respectu est membrum, is simpliciter est membrum; & qui simpliciter est membrum, is secundum quid & alio respectu caput esse vel dici nequit. Minor est Apostoli Pauli, à Marco Antonio allegati: Ergo conclusio est immortæ veritatis: & per consequens nullam caput præter Christum est agnoscendam.

III. Respondet Becanus ad majorem propositionem, & repetit suum Coccysum, nempe distinguendum esse *inter internum influxum donorum gratiæ, & inter externam gubernationem*, sicque simul negat rationem majoris: cum adhuc, ut quidem ipse opinatur, pluribus respectibus aliquid possit dici, vel negari membrum vel caput Ecclesie, nempe ratione *influxus interni & ratione externæ gubernationis*. Et deinde distinctionem illam ad minorem applicat, conceditq; omnes Christianos, & sic Petrum quoque & Papam, ratione influxus interni, (de quo loquatur Apostolus) membrum tantum esse Ecclesie: Quo verò non negari, Petrum & Papam respectu externæ gubernationis caput Ecclesie esse.

IV. Sed quis non intelligit crassam iterum committi petitionem principii. Probet Jesuita, Christum non indigere quidem vicario capite quoad influxum internum donorum spiritualium: Indigere autem quoad gubernationem externam. Utriusque enim eadem videtur esse ratio respectu Christi, cum æquè influxus ille fiat mediatè, (nempe per ministerium & Ecclesiæ Ministros,) atquè gubernatio illa externa. Ille ipse enim influxus etiam ministris, tanquam mediis & instrumentis, tribuitur 1. Cor. 3. v. 5. *Quis est Petrus, quis Apollo, nisi ministri, per quos GREDIDISTIS.* 2. Cor. 5. v. 18. & 19. *Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum, dedi. q. vobis ministerium RECONCILIATIONIS. Quandoquidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata suas; & posuit in NOBIS SERMONEM RECONCILIATIONIS. Itaque nomine Christi legatione fungimur, tanquam DEO vos consecrante per NOS.*

V. Quæ ergo est ratio, quod quia gubernatio Ecclesiæ externa mediatè fieri debet, requirat vicarium & visibile caput: & non simul ob eandem planè causam vicarium aliquod caput Ecclesiæ sit constituendum & concedendum respectu influxus donorum gratiæ? Quis etiam adeo bardus & blennus est, qui non intelligat, quod Papa ille duas has actiones confundat, quando authoritate singulari sibi præservat quædam peccata, quæ à se solo remitti possint & debeant. Profecto remissio peccatorum non tantùm ad externum Ecclesiæ regimè pertinet, sed etiam, & quidem potissimùm, ad internam DEI gratiam, qua quis tranquillus esse possit in conscientia sua. Hæc adeo clara ac perspicua sunt, ut qui tantùm homo est, & ratione præditus, negare non possit.

VI. Cæterùm etiam si concedamus, distincta esse, influxum donorum spirituales, & gubernationem Ecclesiæ externam; quaritur tamen non sine causa, an separari possint ita, ut diversis subjectis tribuenda sint: & non potius in uno conveniant. Non enim est necessarium, ut illa, quæ distincta sunt, subjectis statim distinguantur, cum forma rei essentialis &

propria ejus affectio re ipsa distinguantur, ut *rationalis & risibile*, non tamen subjectis: Omnis enim homo est rationalis, & omnis, qui rationalis est, est risibilis; & contra omnis qui risibilis & rationalis est, est homo. Non tamen *risibile & rationale* sunt idem, cum illud in substantiæ, hoc in qualitatis categoria sit, ut Philosophi probant.

VII. Concedimus ergo, inquam, distincta esse, *Influxum donorum spiritualium & regimen externum*; interim nulla nos cogit necessitas, ut concedamus, influxum illum fieri immediate; gubernationem vero fieri mediate: nisi Jesuita nobis illam monstraret necessitatem. Quod ad calendas græcas faciet. Nam per illam externam gubernationem, hoc est, ministerium Ecclesiasticum externum, Deus efficax est, & suam gratiam confert, ut manifestum est in baptismo, in salutari usu cœnæ Dominicæ, in prædicatione & auscultatione verbi, in absolutione: Quæ sanè omnia mediate fiunt: sed in hanc finem, ut mediante illo ministerio hominibus gratia Dei conferatur: uti etiam multis, nempe credentibus, revera & actu ipso confertur. Quocirca distinctionem istam concedere possumus; sed realem divisionem & separationem, ita ut unum fiat immediate à Deo sine medio & vicario (ut hoc termino Pontificio utar) alterum vero mediate & per vicarium, pernegamus.

VIII. Sed ponamus fieri influxum illum immediate, (quod interim nullo modo concedimus,) inde tamen nulla consequentia infererur, Gubernationem Ecclesiæ externam fieri per caput aliquod visibile, nempe Papam Romanum. Aliis ergo argumentis hoc probandū. At quibus? Egregiis sanè. Quia *Princeps absens non potest sine vicario, post se relicto, suum Principatum regere*. Quasi vero Christus ita jam post ascensionem in cœlos, & abitum suum ad Patrem, à sua Ecclesia absit, ut Rex vel Princeps mundanus, peregrè profectus, abest à suo regno. Nequaquam vero. Ita enim abiit Christus ad Patrem, ut præsentissimè adsit suæ Ecclesiæ, *Matth. 18. v. 20. & 28. v. ult.* ita abiit, ut omnipotentia & omnipræsentia suâ omnia impleat ac gubernet, quæ sunt in cœlo & in terra, adeo ut in medio

dio inimicorum suorum domineretur. *Ps. 110. v. 1. Epb. 4. v. 10. Phil. 2. v. 9. 10. 11.*

IX. Falsam ergo est, inquam, quod sibi imaginantur Pontificii. Christum secundum humanam naturam à suâ militante Ecclesia ita abesse, ut abest Rex aliquis à suo regno, peregrè profectus: cum, ut probatum est, sedens ad dextram Dei, omnia impleat in cælo & in terrâ: & Ecclesiæ suæ sempiternam ac perpetuam promiserit præsentiam, *Matth. 18. v. 20. & cap. 28. v. ult.* Falsum est non esse hominis Christi majorem potestatem, quam est alicujus principis secularis potētia: cum sit omnipræsens, *Luc. 22. v. 69. Heb. 1. v. 3. item: cap. 7. v. 8. Matth. 28. v. 28.* Falsum est Christum non cognoscere, & exactè scire ea, quæ vel bona vel mala contingunt Ecclesiæ: cum sit omni-
sciens. *Coll. 2. v. 3. Job. 2. v. 25.* & à patre acceperit potestatem faciendi judicium, quatenus filius hominis est, *Johan. 5. v. 27.* Et quia hæc omnia in Christo sunt, & peragantur sine labore, sine molestia. (Siquidem omnia divino modo ac virtute, in quam nulla cadit passio, & sic nulla molestia.) Ad quid ergo stultus ille vicarius Romanus? Nugæ sunt. Absurda sunt in scripturâ & rectâ ratione.

X. Sed pergit Becanus §. 27. *Dices. Ergo Ecclesia erit biceps, quia habebit duo capita. Respondeo. Nihil hic novum. Nam & Regnum Anglia posset hoc sensu esse biceps, si Rex peregrè proficiscens relinqueret domi vicarium, qui tantisper regnum administraret. Et de facto, Regnum Lusitania biceps est, quia Regem absentem habet, & pro regem presentem. Utrumq; ut caput in externo regimine, sed alterum alteri subordinatum. Idem dico de Ecclesia, Biceps est, quia habet duo Capita, Primarium & Secundarium. Accipe aliud Exemplum ex Apostolo, *Ephesiorum 5. v. 23.* Vir, inquit, Caput est mulieris. At mulier præter virum, qui Caput ipsius est, habet etiam naturale Caput in suo Corpore: Igitur biceps est. Et ipsemet *M. Antonius*, contra quem disputo, tria habet capita. Unum in suo corpore, naturale: alterum in directione spiritali. Christum; tertium in directione Politica, Regem Anglia. Nec ullum horum negare audeat. Triceps igitur non mireris?*

XI. Verissimum est quod respondet D. Meyfartus, frō-
tem exuisse Jesuitam, sententiæ suæ nullitate ad tantum ab-
surdum redactum, ut non erubescat concedere imo probare,
Ecclesiam monstrum biceps esse. Instantia de regno Angliæ data,
absurda & nulla est. Nam licet Rex absens, sibi substituatur vi-
carius: non tamen is statim censendus caput Regni. Si e-
nim est caput, est Rex, & si est Rex, est Monarcha: cum forma
reipublicæ Angliæ Monarchica esse videatur. Atqui verò
Monarchiam habere duos Reges, duas Monarchas; idem est,
ac si dicas, unum esse duo: & duo unum. Taceo quod Rex
Angliæ vicario suo nequaquam concedet vel titulum ac no-
men Regis sive Monarchæ: (quod per se manifestum & cer-
tum) vel etiam Monarchicam potestatem ac Majestatem. Ista
enim absoluta est; vicarii non est absoluta, sed dependens à
Rege, licet absente. Nihil enim vicarius facit suâ; sed omnia
Regis potestate: nec sine legibus aliquid statuere potest vel de-
bet: sed omnia secundum leges & modum à Rege præscriptū
peragere tenetur. Nequaquam ergo ejusmodi vicarius caput
dici meretur: quia, ut diximus, neque Rex, neque Monarcha est
Regis Angliæ.

XII. Addo & hoc, quod nullâ necessitate cogatur Rex
Angliæ, extra regnum abiens, ut unum duntaxat constituat,
& post se relinquat vicarium; cum singulis provinciis pecu-
liarem directorem præficere queat; idque omnino consultius
est; quàm uni totius Regni gubernationem committere. Si
ergo gubernatores illi plurimi essent capita regni Angliæ, cum
sane illud absente Rege, sed præsentibus gubernatoribus illis
ordinatis & substitutis, non tantum duo, sed viginti vel plura
haberet capita & Monarchas. Quod ut absurdissimum, sic
dudum in primis Politicarum Scholarum subselliis explo-
sum est.

XIII. Idem iudicium ac responsum esto de altero ex-
emplo Regni Lusitaniæ. Nam ut Prorex præsens non est
Rex; sic neque est caput propriè dictum illius regni: Quia
non habet propria capitis: ut sunt membris largiri vitam,
illaq;

illaq; spiritu suo regere. Neutrum facit Prorex: sed utrumque Regi, licet absenti, tribuendum. Vita enim membrorum Reipublicæ consistit in legibus; Hæ autem non dantur vel auctoritatem habent à Prorege, sed unicè à Rege. Sic neq; spiritus ille Majestaticus sive majestas ipsa, quâ omnia in regno cum Regiâ auctoritate reguntur & peragantur, est Proregis, sed Regis. Et sane si Prorex sibi titulum & nomen ipsius Regis, simulque ipsam Regiam majestatem arrogaret, Rex Hispaniæ tanquam crimen Læsæ Majestatis acciperet & puniret. Sic quoq; reverà Pontifex Romanus crimen Læsæ Majestatis divinæ committit, quando honorem, soli Christo competentem, nempe quod sit Caput, Rex & Sponsus Ecclesiæ, sibi arrogat. Quandoquidem id postmodum distinctiunculâ illâ, in *caput Primarium & secundarium*, non poterit excusari: cum omni careat fundamento & Christi ordinatione.

XIII. Quare ut nemo esse potest Prorex Lusitanæ, nisi sit constitutus à Rege Hispaniæ: sic nullus vicarius Christi esse, vel capitis sponsiq; Ecclesiæ titulum jure usurpare poterit, qui non à Christo ad id ordinatus sit, illumq; acceperit. Verum hic aquaharet Papæ Romano: Ideoq; hæctenus nulla protulit Becanus cū omnibus Jesuitis scripturarum oracula, sed sui solummodo cerebri adduxit ac dixit figmenta, & quid sibi visum ad Regimen Ecclesiæ necessarium: verum non quod homini & Jesuitæ hoc in negotio videtur, sed quod à Christo mandatum est, id unicè approbandum & tenendum est.

XIV. Tertium tandem exemplum, quod ex *Epist. ad Ephes. cap. 1. v. 26.* desumpsit Jesuita, ubi Apostolus dicit, *virum esse caput mulieris*; additq; Jesuita, quod illa *præter virum etiam suum naturale caput habeat, proptereaq; biceps sit*, id ineptissimū & absurdissimū est. Non enim de duersis respectibus hîc quæstio est: Ubi libenter concedimus, quod, illis observatis, caput eidem attribui possit diversimodè, idemq; diversis capitibus subijci: Verum quod propterea illud, vel ille, vel illa statim dicenda vel biceps vel triceps (cum sub uno respectu unicum duntaxat & suum habeat caput) concedendum nullo modo est. Paulus de muliere

B

loqui-

loquitur, non quatenus homo est & sua naturalia membra, caput, manus, pedes, &c. habet: (Nam hoc respectu etiam duntaxat unum & suum habet caput) & vir ipsius caput nequaquam est: Cum hoc respectu naturali Mulier & Vir non sint unum, sed sint duo, duo nimirum distincti homines, quorum quilibet suum proprium & unum caput habet: sed quatenus est alterius, nempe sui mariti, uxor.

XV. Mulier enim (ut patet) duplici respectu potest considerari: Primum respectu suae personae & naturae, quatenus homo est, & sua (ut diximus) naturalia membra, suum corpus, suum caput, suas manus, pedes &c. habet. Quis verò dicet, hoc respectu virum mulieris esse caput: Qui ergo sub hoc respectu mulieri duo capita tribuit, ex illa monstrum facit.

XVI. Deinde consideratur femina in relatione conjugali quatenus est uxor sui mariti, quod facit allegoricè Apostolus. Hoc sanè respectu mulier caput in se non habet. Quandoquidem & ipsum naturale mulieris caput, hoc modo capitis rationem amittit; quippe quae tota, & sic cum naturali suo capite, viro, tanquam capiti maritali, subijcitur. Falsum ergo est, quod mulier, ut uxor in conjugio considerata, sit biceps. Quae enim biceps est, adultera est. Nam caput sponsae est sponsus: & caput uxoris est maritus. Si ergo, sponsus absens substitueret alium, vel ipse vel ipsa sponsum: & maritus absens vel ipse vel etiam uxor, propter mariti absentiam, alium maritum: Tum quidem & Sponsa & uxor esset biceps & duo haberet capita, alterum primum & alterum secundarium & substitutum: Verum tum non sponsa & uxor, sed adultera, esset. Quis etiam maritus tam amens, ut peregrè abiens sibi alium substitueret maritum, & sic propriam suam carnem prostitueret? Sic nemo sibi imaginabitur, Christum, abeuntem ad Patrem, suam sponsam, proprio sanguine redemptam & acquisitam, alij alicui sponso & capiti subjecisse, & sic prostituisse.

XVII. Certum ergo est, quod fidem conjugalem castè servans uxor, quatenus talis, nequaquam biceps sit. Verum Ecclesia Pontificia, quando quoad externam gubernationem &

quatenus

quatenus Ecclesia est, duo habet capita, imo interdum tria vel etiam quatuor (sederunt enim aliquando tres Pontifices) modo nullum (quando Papa mortuus est & nondum novus electus) est verè biceps, triceps & quadriceps & tandem truncus, si non in totum; saltem quoad alteram partem, nempe quoad externam, gubernationem: Quid ergo monstrosius esse potest ejusmodi Ecclesia?

XVIII. Pergit Becanus §.28. ad secundam objectionem. *Secundo obijcit, inquit, sicut caput & reliqua membra hominis constituunt unum corpus integrum naturale, ita Christus, & Ecclesia constituunt unum integrum corpus mysticum, quod conflatum ex capite & membris (1-Corinth.12.) Ergo omnes, præter Christum, qui caput est, sunt membra corporis Ecclesie: Ergo nullus, præter Christum, est caput Ecclesie, Respondeo. Hæc obiectio solvitur eodem modo, quo prior. Nam caput potest dupliciter conferri cum membris. Primò, quoad internum influxum, qui procedit à capite in reliqua membra: Et sic unius corporis unum est caput. Secundò, quoad externum regimen: Et sic unius corporis possunt esse duo capita. Quo pacto corpus mulieris habet unum caput, à quo recipit influxum spirituum sensitivorum: habet duo à quibus regitur, in externis actionibus. Nam & à proprio capite naturali, & à viro, qui caput ipsius morale est, gubernatur. Idem est de Ecclesia. Habet unum caput quoad influxum gratiæ: habet duo, quoad externam gubernationem, quorum unum supplet vices alterius. Et priori modo, solus Christus est caput, reliqui omnes sunt membra: posteriori, non solum Christus, sed etiam Petrus est caput, qui tamen priori modo erat membrum, & non caput.*

XIX. Argumentum Marci Antonij est certum & firmum, fundatum in collatione ipsius Spiritus S Rom.12.v.5. Si enim Christi se habet ad membra corporis Ecclesie uti se habet caput humanum naturale ad totius corporis membra, necessaria est consequentia: ut est unicum caput in corpore humano, & reliquæ partes omnes sunt membra: Quod sic quoq; solus & unicus Christus sit caput corporis Ecclesie & cætera omnia sint membra & nequaquam capita. Et rursus ut caput & membra reliqua seminis constituunt corpus integrum, naturale: sic quoq; Christus & Ecclesia constituunt unum corpus integrum, mysticum: Unde,

B

2

rursus

rursus infallibiliter sequitur, omnes præter Christum, qui caput est, esse membra corporis Ecclesiæ: & sic etiam Papam.

XX. Responsio Becani est rursus mera petitio principij. Et sanè distinctio illa tollitur per hoc ipsum argumentum. Nam caput (1.) est idem quod Monarcha & Rex: de quo sanè externa gubernatio non est deneganda (2.) caput ut tale utrumque facit: & infundit membris subjectis spiritum & motum & simul etiam eadem gubernat, quandoquidem eo ipso illa gubernat. (3.) Quando per externum vicarium Rex aliquis suum regnum gubernat; illud facit (1.) vel propter suam absentiam: vel (2.) propter morbum & adversam valetudinem: vel (3.) propter imbecillitatem judicij: vel (4.) propter pigritiam, & quod subditos suos non curat.

XXI. Nullum planè de Christo dici potest; quia nequaquam à suâ Ecclesia abest, ut demonstratū; neq; morbis vel morti subjacet; semel enim mortuus est, & amplius non moritur, *Roman. 6. v. 9. & 10.* Est & sapientissimus, quia nempe unctus est Spiritu sancto sine mensura *Job. 3. v. 3. 4.* & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, *Col. 2. v. 3.* quiq; maxime curat suam Ecclesiam. Ad quid ergo gubernator & vicarius visibilis? Quare cum recta ratio scripturam scrutans, nullum videre potest causam, ob quam necessarius sit ejusmodi vicarius, Monarcha & gubernator Ecclesiæ externus; Probandum rursus Jesuitis est, Christū liberè, vel ob causam nobis in cognitam, istum ordinasse. Hoc vero quia nondum fecerunt Jesuitæ, ipsis credere non possumus: sed potius attendere debemus, quid Spiritus sanctus de hac hierarchia nobis revelet. Cū igitur Paulus loco allegato totam hierarchiam Ecclesiasticam describat, & nullam planè Pontificis alicujus summi, tanquam Christi vicarij, & locum tenentis, faciat mentionem: sequitur etiam, quod ille in ista non comprehendatur. Obijciunt quidem illum contineri in Apostolatu Petri. Sed verba sunt & crassa rursus principij petitio.

XXII. Quæ cū ita sint, per se corruunt, quæ Becanus §. 29. Subijcit his verbis: *Quando ergò obijcitur ex Apostolo, quod Christus*
& Eccle-

Et Ecclesia constituent unum integrum corpus mysticum, quod ex capite & membris conflatum est; hoc intelligi debet priori sensu. Nam Apostolus loco citato, disertè loquitur de Christo, quatenus est caput Ecclesie, quoad internam divisionem donorum gratie, ut in textu patet. Et sic concedo, ut jam ante concessi, omnes præter Christum esse membra Ecclesie: Et nullum præter Christum, esse caput Ecclesie. Quod si similem objectionem faciat M. Antonius de Christo; quatenus est caput Ecclesie per externam gubernationem; primò quidem se ipsum oppugnabit, quia negat Christum esse ejusmodi caput. Deinde facillimè dissolvetur objectio ex nostra parte. Nam Christus cum suo vicario erit caput: reliqui omnes, membra. Sicut fit in Regno Lusitania. Rex cum suo Prorege est caput Regni: alii membra.

XXIII. Primùm concessionem, primo loco positam, rursus ambabus manibus amplectimur. Sequitur enim inde non tantùm non absurdum esse, Ecclesiam visibilem, habere invisibile aliquod caput: nempe ratione internæ divisionis donorū gratiæ; sed omnino, ut ipso actu habeat, necesse esse. Cū sine illo interno influxu visibilis Ecclesia neq; vera esse neq; gubernari queat. Verùm quod addit Jesuita & innuit, Apostolum agentem de interno illo influxu & donorum collatione, externam gubernationem excludere, ita ut tantùm illum tribuat Christo, hanc verò commendaverit Petro & Pontificiis Romanis; Somnium Jesuiticum est, manifestè pugnans contra sensum & scopum Apostoli. Quandoquidem contradictionem implicat agere de donis illis Spiritus S. quæ conferuntur visibilibus membris, inter alia, quoque ut visibiliter Ecclesia rectè gubernari possit: & nihilominus visibile regimen planè excludere. Negari enim nullo modo potest, etiam innuere Apostolum, quod per sermonem sapientiæ, per sermonem cognitionis, per Prophetias, discretionem spirituum, diversa genera linguarum, illarumque interpretationem, illud unum caput, Christus, ministerium Ecclesiasticum externum, constituat, & sic Ecclesiam suam gubernet: Quandoquidem illa potissimùm ad externum ministerium constituendum, & sic quoque ad regimen Ecclesie externum, pertinent & requiruntur.

XXIV. Sic ergo concludo: Qui enumerat omnia media, quibus externa Ecclesiae gubernatio perficitur, quaeque in illa conspicua sunt; ille non excludit externam gubernationem, neque agens de interna donorum Spiritus S. collatione, illam contra externam gubernationem contradistinguit; Atqui Paulus I. Cor. 12. enumerat omnia media, quibus externa gubernatio Ecclesiae perficitur, & quae in illa sunt conspicua. E. Paulus I. Cor. 12. non excludit externam gubernationem, neque agens de interna donorum Spiritus S. collatione, illam statim contra externam gubernationem contradistinguit. Major est certa & manifesta. Minor ex jam explicatis patet. E. conclusio quoque est certissima veritatis.

XXV. Et quod etiam Apostolus agat de externa corporis visibilis Ecclesiae gubernatione: manifestum adhuc reddit duabus rationibus. Nam quando egit de diversitate donorum Spiritus S., statim illud vers. 12. & sequent. applicat ad Ecclesiam, quatenus est corpus unum, vel quatenus cum corpore humano confertur: atque similitudine illa corporis, varia membra viresque habentis (quae tamen omnia ad commune bonum tendunt) docet Apostolus conditionem & usum variarum personarum & functionum in Ecclesia. Unde sic argumentor. Qui docet per similitudinem corporis conditionem & usum variarum personarum & functionum in Ecclesia visibili, ille de ipsa quoque agit ac docet, ut se habet in statu & regimine visibili: Atqui Paulus docet per similitudinem corporis, conditionem & usum variarum personarum ac functionum in Ecclesia visibili; Ergo Paulus de Ecclesia quoque agit ac docet ut se habet in statu & regimine visibili.

XXVI. Major est certa: Nam conditio illa & usus variarum personarum & functionum pertinet ad Ecclesiae statum & gubernationem, quatenus visibilis est. Minor ex textu Apostolico est certa ac manifesta. Nam postquam docuerat Paulus, varia esse dona, sed unum illorum authorem, qui ea ad publicam utilitatem donaverit: vers. 12. donorum illorum usum clarius praecipit, idque eum in finem, ut omnes in visibili Ecclesia, viventes, ad concordiam ac communicationem officiorum incitentur.

Scopus

Scopus enim Apostoli hoc includitur Syllogismo : Sicut se habent membra singula ad se invicem & erga totum corpus : ita etiam singuli pii, præsertim aliquibus donis ornati, erga se invicem aliosque, atque adeo erga totam Ecclesiam : Sed omnia membra in uno corpore sibi invicem summo studio serviunt & concorditer omnes operas ad conservationem totius corporis conferunt : Ergo & singuli pii idem facere deberent. Quis ergo non intelligit, quod agat ac doceat Paulus, quomodo membra vera Ecclesiæ visibilis se in externa conversatione gerere debeant, & quidem id sub unico suo capite, qui expressè hic nominatur non Papa, sed Christus. *Sicut & Christus*, inquit Apostolus, atque sic *Christum* vocat ipsam Ecclesiam : quam verò ab invisibili sive Mystico capite suo ita denominat. Imo vers. 27. hujus similitudinis, applicationem concludit : *Vos autem estis corpus Christi & membra ex parte* ; hoc est, pro se quisque seu particulatim : quod nimirum omnes quidem sint totum corpus, singuli autem seorsim membra, sive etiam quisque pro sua functione aut pro rata portione sui muneris.

XXVII. Unde rursus ita argumentor : Qui dicuntur membra Christi ratione suorum munerum quæ habent in externa, visibili Ecclesia ; illi expressè non tantum considerantur ratione influxus donorum Spiritus Sancti ; sed etiam ratione externæ gubernationis ; atque respectu hujus, Christi membra dicuntur : Atqui pii hinc dicuntur membra Christi ratione suorum munerum, quæ habent in externa Ecclesia visibili. Ergo pii hic expressè considerantur non tantum ratione influxus donorum Spiritus S. ; sed etiam ratione externæ gubernationis : atque respectu hujus Christi membra dicuntur. Porro : Quo respectu pii dicuntur membra Christi ; eo respectu Christus dicitur eorum caput : At membra hinc dicuntur respectu externæ gubernationis : Ergo & eò quoque respectu, nempe externæ gubernationis, hinc Christus dicitur caput Ecclesiæ.

XXVIII. Alterum argumentum est & continetur vers. 27. & 28. idque sic formamus : Qui dicitur caput Ecclesiæ, quatenus
in ea

in ea posuit Apostolus, Prophetas, Doctores, potestates, dona sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, ille dicitur quoque caput Ecclesiae respectu externae gubernationis: Atque hinc Apostolus Christum vocat caput Ecclesiae, quatenus in ea posuit Apostolos, Prophetas, Doctores, potestates, dona sanationum, opitulationes, gubernationes genera linguarum: Ergo hinc Apostolus Christum vocat caput Ecclesiae etiam respectu externae gubernationis.

XXIX. Majorem nemo Pontificiorum negabit: Constituuntur enim Apostoli, Prophetæ, Doctores, gubernationes &c. invisibili Ecclesia & pertinent illa officia ad externam Ecclesiae visibilis gubernationem. Minor est inde certa: Quia vers. 27. & 28. immediatè cohærent & vers. 18. est ἐξήγησις prioris partis vers. 27. Quippe ostendit quomodo singuli sint mēbra totius corporis Ecclesiae, eorum officia, divinitus ordinata, enumerando. Proponit autem pro exemplo non omnia, sed duntaxat quædam membra, quæ præcipuarum partium vice erant cœtui Dei, nempe Apostolos, Prophetas, Doctores &c. Falsissimum ergo est commentum Jesuiticum, Paulum tantum de Christo loqui, quatenus est caput Ecclesiae quoad internam divinorum donorum gratiæ. Nam, ut demonstratum est, non hoc sed contrarium ex textu patet. Etiam si enim non negamus ibi quoque agi de interno donorum influxu: tamen non tantum, sed etiam de illis, quæ ad externam gubernationem pertinent, uti evidenter ex textu probavimus.

XXX. Deinde quod addit Becanus: *Quod similem objectionem faciat M. Antonius de Christi, quatenus est caput Ecclesie per externam gubernationem. Primò seipsum oppugnabit: Quia negat Christum esse ejusmodi caput. Sic ergo vult argumentari: Qui negat Christum esse visibile caput Ecclesie, ille sine contradictione non potest dicere Christum esse caput visibilis Ecclesie: Atqui M. Antonius negat Christum esse caput visibile: Ergo sine contradictione dicere non potest Christum esse caput visibilis Ecclesie. Respondemus ad Majorem, quod illa petat principium.*

Nam

Nam etiam si Christus non amplius visibiliter Ecclesiis adfit, adest tamen: & sic invisibile esse potest caput visibilis Ecclesiae; Quia ab illa non abest sed praesentissime adest, omnia videns, omnia in omnibus efficiens.

XXXII. Tandem quod addit: *Deinde facillime dissolvitur obiectio ex parte nostra. Nam Christus cum suo vicario erit caput: reliqui omnes membra sicut sit in regno Lusitania. Rex cum suo prorege est caput regni, alii membra.* Primum non est quaestio, an eo modo ex parte & hypothese Pontificia responderi possit: sed hoc in quaestionem venit, an pars illa sive hypothesis sit vera; ut verum inde deduci possit consequens: quod nos pernegamus. Proben ergo prius Jesuitae, Christum vicarium habere; tum deliberabimus, an à nobis concedi debeat vel possit, Christum solum caput esse non posse, sed ut sit, necessario requirere conjunctionem cum suo vicario, vel hujus ad se reductionem. Nam ratio dubitandi non est nulla.

XXXIII. Quae enim me necessitas urgeat, ut statuam vicarium, complexè sumtum cum suo rege, facere, ut Rex sit caput? Cum Rex & caput hinc sint synonyma. Nam quia Rex est in regno, ejus caput est: & quia caput est in regno, Rex est: Ut ergo Rex est, ita caput est. At non Rex est, quia vicarium habet: sed vicarius est, quia regem habet: Sic quoque non caput est, quia vicarium habet; sed vicarius est quia caput habet. Ergo Rex manet Rex, & caput manet caput, non tantum in respectu ceterorum membrorum: sed & respectu vicarii, licet hic concedi possit, esse primum membrum, & habeat sese ut oculus & manus, quae Rex in regimine isto, ceterisque membris gubernandis utitur.

XXXIV. Adde, si Rex in Regno Lusitaniae cum suo Prorege est caput; tum non sunt duo capita, quod volumus; sed tantum unum, nempe Rex quatenus ad ipsum reducitur Prorex: Quod verò est contra Jesuitam; qui antea concessit, regnum Lusitaniae esse biceps. Mendacem oportet esse memorem.

XXXV. Sed porro probandum est: (1.) Necessarium esse ut singula regna regibus absentibus unicum habeant proregem, quemadmodum regnum Lusitaniae suum habet unum Proregem.

C

(2) Et

(2.) Et si hoc vel maximè probari posset, porro esset demonstrandum; necessarium esse, ut Christus abiens ad Patrem suum visibile regnum per aliquod visibile caput regat. Primum nulla ratione demonstrabitur. Quandoquidem Rex absens, ut in præcedentibus quoque monuimus, potest etiam diversis ditionibus suis, distinctos oparchas præficere. Deinde nulla est consequentia argumentari à necessario modo gubernandi Regum mundanum, ad necessarium modum regnandi Ecclesiam Christi. Nam Christus licet abierit, & visibilem suam præsentiam subtraxerit; tamen non omnem subtraxit, sed essentiæ suæ ac virtutis præsentia mansit, sed semper in Ecclesia adest, & sic præsentissimè ipsam ut regere potest, sic & regit: Quod cæteri mundani reges facere nequeunt. Ergo argumentum & responsio Becani nulla est.

XXXVI. Tertio objicit (pergit Becanus §. 30.) *Patres non agnoscunt unum caput Ecclesie, nisi Christum, ut August. lib. de unitate Ecclesie, cap. 2. & 4. & tract. 108. in Johannem, & lib. de Pastoribus, cap. 13. Gregorius in Psalm. 5. Pœnitentialem, & lib. 4. Epist. ad Eph. Et probatur ex illo Ephes. 4. v. 5. Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Respondeo. Eadem est solutio. Nam Apostolus loquitur de capite Ecclesie, quod internam gratiam influit in alia membra; Et tale caput est solus Christus. Idem docent Patres ab illo citati. Non negant tamen, quin præter Christum sit aliud caput visibile. Quod in externo regimine gubernat Ecclesiam: Imò expresse affirmant, ut paulò post videbimus.*

XXXVII. *Eadem est resolutio, inquit Becanus. Regerimus: Est eadem principii petitio. Nam ut Apostolus, sic Patres describunt totum hierarchiam Ecclesiasticam; ut utrumque complectantur, & internum influxum & externum regimen. Et expresse docent plerique Patres, Petrum & reliquos Apostolos æquales esse. Cyprian. de Simpl. Prælator. Christus omnibus Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuit. Et: Hoc*

erant utiq; ceteri, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Et Cyrillus ait: Hoc erat Petrus, quod & erant ceteri Apostoli, pari cum ipsis gradu honoris ac dignitatis. Et Origen. tract. i. in Matth. Petra est (scribit) quicumque est discipulus Christi: & super talem petram constituitur omnis Ecclesiastica doctrina. Quod si super unum istum Petrum tantum existimas edificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Johanne filio tonitruum & Apostolorum unoquoque? Num audebimus dicere, quod adversus Petrum unum non prevalitura sunt portæ inferorum? An soli Petro dentur claves regni cælorum? Verè ergo ad Petrum quidem dictum est: Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prevalebunt ei: tamen OMNIBUS Apostolis, & omnibus perfectis fidelibus dictum videtur, quoniam omnes sunt Petrus & Petra & in omnibus edificata est Ecclesia Christi, & adversus nullum eorum, qui tales sunt, portæ prevalebunt inferorum.

XXXVIII. Falsum ergo est, quid Patres expressè affirmant, præter Christum esse aliud caput Ecclesiæ visibile quod in externo regimine gubernet Ecclesiam. Si enim negant Petrum fuisse caput Apostolorum & Ecclesiæ, utique nequaquam affirmabant vel Papam Romanum vel alium quempiam esse caput Ecclesiæ visibile. Sed cum promittat hujus suæ assertionis probationem ex Patribus; videbimus paulo post, qualem in medium sit allaturus.

XXXIX. Quarto objicit (Becanus porro inquit §. 31.) Christus est Sacerdos in æternum, ut passim docet Scriptura (Psalm. 110, 4. & Hebr. 7, 17.) Quid ergo necesse est, inquit, dari illi vicarium, vel Successorem in terris? Cur Summum hinc Pontificem quarimus, Christus Sacerdos & Pontifex noster sempiternum habet Sacerdotium, & Pontificatum sempiternum? Respondeo. Si ex eo præcisè, quod Christus dicatur esse Sacerdos in æternum, contendit probare Antonius nullum esse Pontificem, nisi Christum? poterit similiter probare, nullum esse Sacerdotem, nisi Christum. Ubi ergò Antonii Sacerdotium? ubi illius Episcopatus? Sed ad rem: Apostolus loco citato ostendit Christum, qui est Sacerdos & Pontifex Novi Testamenti, du-

pliciter differre à Sacerdote & Pontifice Veteris Testamenti. 1. Qui Pontifex Veteris Testamenti erat moralis. 2. Quando moriebatur, indigebat Successore. Christus, quia non moritur, non indiget Successore. Neque nos Catholici, ut adversarius invidiosè fingit, damus illi Successorem, sed Vicarium Ministrum. Quae duo valdè distinguuntur. Nam Successor succedit cum pari potestate: ut Successor Regis in Regno, successor Imperatoris in Imperio, successor Aaronis in Sacerdotio legali. Nemo autem succedit Christo cum pari potestate. At Vicarius aut Minister, non habet parem potestatem cum eo, cuius Vicarius aut Minister est, sed delegatam. Sicut ergo non pugnat, Christum habere Sacerdotes, tanquam Ministros, in oblatione Sacrificii Eucharistiae: ita non pugnat, habere Ministros & Vicarios in externa Ecclesiae gubernatione. Inter hos Ministros unus Supremus est, qui dicitur Pontifex. Quid malè hic est? nihil penitus.

XL. Primum notandum, Marcum Antonium ex locis allegatis, non loqui de quovis modo dicto Sacerdotio: sed de Sacerdotio & Pontificatu propriè dicto & supremo, & de Pontifice propriè dicto & summo; Uti id quoque verbis disertis indicat, inquit: *Cur Summum hic Pontificem querimus, si Christus Sacerdos & Pontifex noster sempiternum habet Sacerdotium & Pontificatum sempiternum, nempe supremum.* Sic ergo vult argumentari: Qui, ut ante abitum ad Patrem visibiliter, sic aequè (licet invisibiliter) post ascensionem suam mansit & est in perpetuum Ecclesiae, in his terris collectae, Summus Sacerdos & Pontifex, adeoque illam ipse praesentissimè & potentissimè regit ac defendit; illi non necesse est dare Vicarium in summo Pontificatu: Atqui Christus ut ante abitum ad Patrem visibiliter; sic aequè (licet invisibiliter) post ascensionem suam; mansit & est in perpetuum Ecclesiae, in his in terris collectae, summus Sacerdos & Pontifex Supremus &c. Ergo non necesse est Christo addere Vicarium in suo Pontificatu.

XLI. Majorem non potest negare Becanus. Nam (I.) sacerdotem & Pontificem, qui munus sacerdotale & Pontificale exercet in Ecclesia, oportet praesentem esse, praesenterque Ecclesiam

nam regere: Hoc qui facit, vicario non indiget. Quod enim, quis ipse facere potest & facit, non necesse est, ut per alium faciat: imo implicat contradictionem: Ipsum sacerdotem fungi suo officio & facere illa, quæ officium sacerdotale requirit; & illa facere per alium.

XLII. Minor, quod Christus ipse sacerdotio summo, hodieq; post ascensionem in cælis, æquè fungitur, atq; ante abitum suum ad Patrem, manifestissimum est ex locis allegatis: quodque illud præstat præsentissimè & potentissimè, id disertè demonstratur dictis antea allatis. Quandoquidem suæ Ecclesiæ adest usq; ad consummationem seculi *Matth. 28. v. ultimo* & quidem summus & æternus Pontifex *Heb. 7. v. 17.* qui in cæa ambulat, tanquam inter aurea candelabra, *Apoc. 1. v. 12* in media fidelium congregatione se ostendit, *Matth. 28. v. 20.* neq; nos relinquit orphanos.

XLIII. Contra hanc Minoris probationem nihil valet Becani exceptio; nempe *ex eodem fundamento probari æquè posse, nullum esse sacerdotem nisi Christum*; Quandoquidem, uti diximus, loquuntur verba, ab Antonio allegata, de sacerdote *κτ' ἐξοχῆν*, nempe de summo sacerdote & propriè dicto: & sic de ejusmodi sacerdotali muneris excellentia, quæ summa est & maxima; proindeq; soli Christo propria. Quia autem Novum Testamentum de nullo alio sacerdotio, quam de hoc summo scit, utiq; facile concedere possumus ex eodem fundamento probari æquè posse, nullum in Novo Testamento esse sacerdotem, præter Christum. Ideoq; eo, tanquam absurdo, Antonius nõ potest urgeri, uti mox demonstrabimus.

XLIV. Verba, *ex Epist. ad Hebraeos* citata, ad duo illa discrimina, quæ adducit Becanus, accommodari posse, non inficiamur: sed quid hoc ad nostrum Andromachen? Audimus quidem protestationem Becani: *Pontificios non dare Christo successorem, sed vicarium, sed ministrum.* Si autem hoc verum est, quæ fit, quod Papa sibi Pontificis nomen ac titulum, & Sacrificuli sacerdotum appellationem sibi solis arrogat, idq; propter sacrificium

Missæ, in quo se Christum quotidie offerre, sibi & alijs persuadent? Quo sane ipso facto demonstrant, quod se faciant Christo in suo Pontificatu successores; qui sacerdotium ipsius, quasi nondum plenè consumatum & absolutum, perficiant.

XLV. Quæ porro disputat Becanus de distinctione Regis & vicarij, facile concedimus: Si autem ita serio cum suis Pontificijs statuit, rursus quærimus, qui fiat, quod discrimen istud in praxi planè tollant? Sane vicarius axiomata Regis neq; affectat, neq; sibi arrogat: At verò contrarium facit Pontifex, faciunt pontificij: Ut sæpius demonstratum & inculcatum.

XLVI. Quod porro addit Becanus; *Christum habere sacerdotes tanquam ministros, qui offerunt sacrificium Eucharistiæ, sive Missæ; nego ejusmodi Ministros & sacerdotes (nempe sacerdotes proprie dictos, qui verè & propriè sacrificant) dari in Novo Testamento. Nam sacerdotes & sacrificantes propriè dicti, qui in externa materia sacrificabant, & typicè offerebant Christum, juxta illud Apocal. 13. v. 8. Agnus onactatus est ab origine mundi; tantùm dabantur in veteri Testam. & referebantur & pertinebant ad typos & ceremonias Mosaicas, quæ omnia (ergo & istud sacerdotium) per Christi adventum & sacrificium obrogata sunt.*

XLVII. In Novo ergo Testamento propriè loquendo, unum tantùm habemus sacerdotem, nempe summum illum, Dominum nostrum Jesum Christum: qui semel ingressus est sanctum sanctorum non per sanguinem hircorum & vitulorum, ut summus sacerdos typicus in veteri Testam. sed per proprium sanguinem, æternam redemptionem nactus Hebr. 9. v. 11.

XLVIII. Falsum ergo est, Christum in Novo Testam. in sacerdotio vel Pontificatu habere sive successorem sive vicarium. Nam sacerdos & Pontifex, ut verè & in genere definitur ex Epistola ad Hebræos c. 5. v. 1. & c. 8. v. 3. est Persona, non ex Angelis sed hominibus assumpta, quæ Mediatoris sustinet officium, agens pro hominibus apud DEUM, offerendo dona & victimas pro peccatis ad placandum DEUM.

69. Unde

XLIX. Unde sic argumentor. Cui non convenit definitio sacerdotis seu Pontificis, illi neq; definitura inest vel tribuitur: Atqui nullus hominum in Novo Testam. præter Christum convenit definitio sacerdotis sive Pontificis: E. nulli hominum in Novo Testam. præter Christum inest vel tribui potest, quod sit sacerdos vel Pontifex; nedum summus sacerdos vel summus Pontifex. Major sine controversia vera est. Minor probatur: Nam primum nulla in Novo Testamento dantur donaria vel victimæ, pro peccatis, quibus placatur DEUS, præter victimam illam unicam, quam Christus ipse solus, nec ullus alius eum ipso, in proprio corpore suo obtulit.

L. Scimus quidem, figurate & translata orationes & quicquid ad vitæ sanctimoniam spiritualem, internumq; DEI cultum, pertinet, sacrificiorum nomine donari: At vero de hoc sacrificiorum genere nulla est controversia: cum nemo neget ea vel maximè Novi Testam. temporibus convenire. Si autem propter hanc sacrificiorum oblationem sacrificantes essent dicendi sacerdotes; Tum non tantum Episcopis, sed omnibus verè credentibus & DEUM colentibus hæc appellatio esset attribuenda, omnesque ex æquo, tam laici, quam clerici essent sacerdotes. Quare cardo duntaxat disputationis versatur in quaestione de sacrificio externo, propriè dicto, & quidem propitiatorio. Ejusmodi, inquam, sacrificium præter id, quod ipse Christus per se ipsum obtulit, in Novo Testamento dari per negamus.

LII. Pontificij quidem excogitarunt sacrificium propitiatorium: quo asserunt, in Missâ, ipsum filium DEI, pro expiandis vivorum & mortuorum peccatis, alijsq; rebus vel impetrandis vel averruncandis, DEO Patri per sacerdotem, sub accidentibus Panis & vini, propriè offerri. Verum enim vero nos ejusmodi sacrificium, Christo contumeliosum, scripturæ & fidei Christianæ ex diametro repugnans, veris Christianis toto pectore abominandum & execrandum esse pronunciamus.

LIII. Quandoquidem sacrificij oblatio ita à Christo procurata est, ut suo ipsius corpore per spiritum æternum, in ara crucis semel oblato, omnes legalium & externorum sacrificiorum typos

pos & ritus abrogaverit, *Hebr. 9. v. 14.* Quocirca rursus rectè & apodicticè contra sacrificulos Papales concludimus: Christum solū Novi Testam. esse mediatorē & sacerdotē; ejusq; mortē solū atq; unicū esse Novi Testam. sacrificium ὑλασιον: distinctionēque, quam comminiscuntur *inter primum sacerdotem & secundarium*, tum scripturæ authoritati, fideiq; analogiæ, tum rei, de qua agitur, naturæ repugnare, prorsusq; esse ἀσύστατον. Scriptura enim unum Novi Testam. sacerdotem innuens, eidemq; perpetuum & ἀπαράβατον sacerdotium tribuens, ita eum apponit hominibus ψιλοῖς, ut simul stare non possint.

LIII. Qui legales solū sacerdotes excludi prætendunt, rationem, ab Apostolo adhibitam, necesse est, refellant, demonstrentq;, Pontificios sacerdotes minus infirmos & mortales esse, quam olim erant Levitici. Taceo, quod secundariorum sacerdotum appellatio Leviticis rectius tribuatur: qui cum exhibito primario, velut umbra à sole, subfati fuerint, nulla ratio novos secundarios, antiquis illis, & antiquatis, succenturiari patitur.

LIV. Sed & naturæ ipsius rei, qua de agitur, hæc distinctio repugnat. Cum enim sacerdotibus illis secundarijs Christus verè offerri & sacrificari statuitur, ipsum sacrificium Novi Testam. planè evertitur: quippe cujus ea est ratio ac modus, ut non nisi ab ipso primario sacerdote, quem nos unicum vocamus ac firmiter credimus, offerri possit. *Heb. 9. v. 25.*

LV. Adde & hoc: Si sacerdotes secundarij, instrumenti locū obtinent, ministerijq; usum duntaxat præstant; (quod hoc loco cōcedit & affirmat Becanus) cum ipsi quoq; pro se istud sacrificium offerant, sequitur etiam sacerdotem primum, ipsum nimirum Christum, pro se offerre: siquidem instrumenta ad efficiens referri quis ignorat? At vero hoc sine manifesta blasphemia dici nequit, *Heb. 7. v. 27.*

LVI. Ἀσύστατος quoq; hæc est distinctio; cum Missæ sacrificium statuitur idem cum eo, quod in cruce ipse Christus obtulit. Aut igitur illi soli, non quidem ut primario, sed tanquam unico sacerdoti, nullis secundarijs tunc uso, munus hoc relinquendum; aut sacerdotes illos secundarios in satellitum ac carnificum,

nificum, qui Christum cruci affixerunt, vicem ac stationem successisse, statuendum est.

LVII. Et tandem quoniam ea est hujus sacrificij ratio, ut idem sit sacerdos & victima, extra omnes pudoris terminos factum expediunt, qui in hujus muneris societatem erumpunt.

LVIII. Adde & hoc, quod sacrificium Missæ purum purum figmentum & somnium humanum sit: quod fingitur sine sanguine: Distinctio enim quam excogitarunt Pontificij, inter *oblationem cruentam & incruentam*, ejusdem, cum iam examinata, inter *Pontificem & sacerdotem primarium & secundarium*, est *νόμιματος*. Si enim Christus non duntaxat semel cruento sed incruento etiam sese obtulit, & quotidie offertur sacrificio, tum contra manifesta sacra scripturae testimonia *Heb. 9. v. 25. & cap. 10. v. 10. 14. & 18.* non unicum tantum, sed plura ejusdem Christi esse sacrificia statuendum erit. Deinde, stante hac distinctione, jacet argumentum Apostoli concludentis; *oportuisse Christum, sepius passum fuisse si sepius se offerre necessum habuisset*. Tandem quoque Falsissimum est, oblatione incruentâ remissionem peccatorum impetrari, quam sine sanguinis effusione disertè negat Apostolus, *Heb. 9. v. 22.* Concludimus ergo, cum Christi sacrificij hoc proprium sit *πάθος*, ut sit cruentum; quisquis incruentum aliquid statuit Christi sacrificium, eum verum Christi sacrificium negare.

LIX. Quia igitur nullum datur sacrificium præter illud unicum, quod ipse Christus in arâ crucis suo ipsius corpore obtulit: sequitur, quod munus sacerdotale, in Ecclesia Novi Testamenti à Christo institutum & relictum, sit nullum. Proindeque non est absurdum, ex dicto allato Apostolico concludere, in Ecclesia Novi Testam. præter Christum, nullum esse sacerdotem. Nam & cæteræ duæ partes sacerdotij, per Leviticum sacerdotium adumbratæ, utpote *Custodia legis, & intercessio pro populo*: in solo quoque Christo dantur. Quippe qui non solum legem custodivit secundum communem rationem: quâ per Mosem promulgata; sed secundum rationem quoque singularem, qua peculiare Mandatum acceperat à Patre cœlesti, de ponenda anima pro ovibus,

D

quod

quod mandatū & docuit & implevit perfectissimè : sicq; legi DEI sufficiens *λυτ' εγω* persolvit pro omnium hominū peccatis: quod præter Christum nemo præstare, atq; in eo vicarium nullo modo habere potest.

LX. Tertia officij sacerdotalis pars est *intercessio pro populo*. Hæc in tribus consistit actionibus, in quibus totidem typicè intercessionis partium cernitur complementum. Prima actio erat *apparitio sacerdotis, sese tanquam mediatorem Deo pro populo sistentis*. Sic Christus sistit se DEO Patri & in ejus respectu apparet, tanquam unicus satisfactor pro peccatis hominum, ut remissionem eorum, satisfactionis suæ merito impetret. Quis hic Christus erit vicarius vel minister? Nullus sane hominum.

LXI. Altera actio erat *deprecatio*; qua sua suorumq; peccata condonari sibi supplex orabat sacerdos Leviticus. Hæc ita in Christo habet complementum: quod Patri cœlesti spondet, pro nobis obedientiam, eamq; in nobis per Spiritum S. inchoat: Quis & hic vicarius erit Christi?

LXII. Extrema actio erat *Sponsio*: qua DEO pro veniâ beneficijsq; impetratis omnia grati animi officia & obsequia pollicebatur: sic quoq; Christus pro nobis orat atq; interpellat. Et hoc ipsimet Christo soli competit. Sic enim *Rom. 8. v. 34.* dicitur: *Quod Christus ad hoc ipsum sit excitatus & stet ad dexteram patris ut interpellet pro nobis.*

LXIII. Papani imposteres negant Christum pro nobis intercedere, nisi solo merito non etiam precibus: Quod manifeste cum hoc scripturæ dicto pugnat, & cum altero illo *Hebr. 7. v. 25.* ideo *hunc nostrum perpetuum Pontificem semper vivere, ut interpellet pro nobis.* Et Emphatica sunt verba *Joh. 1. Epist. 2. v. 1.* *Filioli, si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et præclare Eusebius Historiarum decimo de hac Christi assidua pro nobis prece pronunciat, dicens: *Magnus universe Ecclesiæ Pontifex, ipse Jesus, unigenitus DEI, bene fragrantem odorem & cruentas incorporate asq; hostias precum, ab omnibus læto vultu & supinis manibus accipiens, cœlesti Patri & DEO omnium creaturarum offert, primus ipse*

ipse adorans, & solus Patri dignum tribuens honorem: deinde omnibus nobis placatum manere & propitium semper precans.

LXIV. Et si Christus Patrem pro nobis non oraret, sed tantum efficacia passionis ejus valeret apud Deum, tum etiam necessario sequeretur, eum neque preces nostras Patri offerre, neque una nobiscum patrem ad thronum gratiae accedere, nobisque omnia necessaria bona à Patre impetrare atque ita nos plane nullum Sacerdotem habere in caelis, perpetuo pro nobis intercedentem in illo divino tabernaculo, quod absurdum & contra clarissimum textum Epistolae ad Hebraeos. Certum ergo est Christum hodieque sedentem ad dextram Patris pro nobis intercedere, neque hac in parte officii Sacerdotalis ullum habere vicarium.

LXV. Atque sic remotis omnibus partibus, totum tollitur, certumque manet, Christum in Sacerdotio & Pontificatu suo neque successorem neque vicarium neque ministrum habere: Idque recte colligi ex allegato loco Epistolae ad Hebraeos, maximeque pugnare, & quod Christus habeat Sacerdotes, tanquam ministros in oblatione Sacrificii Eucharistici, & quod habeat ministrum & vicarium in externa gubernatione Ecclesiae: Et quia haec pugnant, minime consistere, inter ministros Christus unum esse supremum, qui sit & dicatur Pontifex. Quare tandem desinat quaerere Jesuita, quid hic sit mali: cum non nisi mendacia & crassissimi errores sint.

LXVI. Ergone, inquis, simpliciter negas, Christum suos habere vicarios. Non sane. Sed, ut patet, negamus vicarium, qui sit summus Pontifex & sit vicarius Christi in munere Sacerdotali & Regio, quique habeat supremam Jurisdictionem Ecclesiasticam: quem fingunt Pontificii: alias omnino concedendum est, habere Christum suos vicarios in munere Prophetico: omnesque legitimos & fideles Ecclesiae ministros in docendi munere Christi vicarios esse juxta illud 2. Cor. 5. v. 20. *Nomine Christi legatione fungimur.* Hi vero Christi vicarii male comparantur Proregibus. His enim potestas exercendi dominii committitur: At vero Ecclesiae pastoribus non dominium, sed duntaxat ministerium. Atque hinc & Petrus prohibet *Epist. 1. cap. 5. v. 3.* ne Cleris dominantur.

67. Neque

LXVII. Neque hæc concessio & assertio derogat argumento hætenus tractato & confirmato contra vicarium in Regimine Ecclesiastico. Manet enim adhuc illud firmum ac immotum: Si Christus perpetuo præsentissimè suam regit Ecclesiam, non opus esse, ei dare vicarium. Quia verò visibilem conversationem ascensione ad cœlos subtraxit, proindeque visibile docendi munus depofuit, ipse sibi vicarios ordinavit ac instituit.

LXVIII. Tandem §. 32. primam hujus capituli partem Becanus concludit his verbis: *Hæc generatim dicta sint de capite Ecclesiæ. Ex quibus constat Christum esse caput Ecclesiæ tam visibile, quam invisibile. Visibile quidem, quia vel per se, vel per vicarium visibiliter suam gubernat Ecclesiam. Invisibile quia per internum influxum, fidei, spei, charitatis, & aliorum donorum spiritualium invisibiliter vivificat & vegetat membra Ecclesiæ. Deinceps speciatim querendum est, an Petrus fuerit visibile caput Ecclesiæ præ aliis Apostolis?*

LXIX. Atque hæc quoque generatim responsa sint. Quibus probavimus quidem Christum olim ante ascensionem ad cœlos fuisse visibile: post verò fuisse & esse invisibile caput suæ Ecclesiæ: Solidissimis vero fundamentis refutavimus, & tanquam falsum, erroneum & impium, rejecimus, Christum suam Ecclesiam post abitum ad Patrem gubernare, per vicarium, qui sit summus Pontifex & visibile caput Ecclesiæ. Restat nunc, ut cum

Becano pergamus ad alteram hujus capituli partem, videamusq; , *An Petrus fuerit visibile caput Ecclesiæ præ aliis Apostolis.*



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







58

TERTII
Confessionem

no XXV.

ens

TICVLI VII.

clesia,

cie,

T I O N E:

um, debeat esse

cclesiae in terris, qui

er gubernet Ec-

L.

ta.

ia VVittebergensi,

I D E

RTINI S.S. Th.

mario, Facult. Theol.

Arcis Praeposito,

DENTE

ceister Gryph. Pom.

llegii Veteris

Novembr.

ER G Æ,

AURBACH, Acad. Typogr.

OC XXX.

